

Disputatio Juridica

393

De

1630 530

DONATIONIBUS,

Quam

5

D. T. O. M. A.

In celeberrima Academia VVitebergensi

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi Consulti. & Excellentiss.

D. N. HENNINGI Grossen /


J. U. D. & Profess. publ. Curia Electoralis & Facul-
tatis Juridicae Witebergensis, nec non Judicii Provincialis in in-
feriori Lusat. Assessoris dignissimi Praeceptoris & Promoto-
ris sui omni observantiae cultu prosequendi,

Publicè pro ingenti viribus defendet,

FRIDERICUS Rutschereuter

Wratislav. Silesius.

*Habebitur in Auditorio Jctorum ad diem 27. Aprilis
horis matutinis,*



WITTEBERGÆ

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. XXX.





V I R O,

*Nobilitate, Prudentia, Doctrina,
Amplissimo,*

D N. D A V I D I Rutschereuter J Cto Eque-
stris sancti Joannis ordinis per Germaniam Cancellario & Consiliario: Hæreditario in Wangen/
agnato suo,

atatem observando.

NEC NON

Humanissimo & Doctissimo

V I R O,

D N. M. P A U L O G N I L I O Celeberrimi
Argentoratensium Gymnasii Præceptori classico,
fautori & Promotori suo singulariter
venerando.

Hoc exercitium Juridicum

Dedicat & consecrat,

FRIDERICVS Rutschereuter/

A. & R.



I.

An donatio propriè dicatur
CONTRACTUS.



Liquot jure controversas quæstiones, discussioni placidæ, de non inutili donationum materiâ, subjecturi, hanc in frontispicio ponere, primumque tenere locum, placuit. AN SCILICET DONATIO PROPRIÈ DICATUR CONTRACTUS? qua in quæstione quo minus affirmantium accedamus partes impedit, *l. interdum 14. ff. de precario*: ubi donatio & negotium contractum, sibi invicem opponuntur in verbis: quia magis ad donationis ac beneficii, quam negotii contracti causam spectat precarii conditio &c. precarium verò, quamvis donatio propriè non sit, est tamen genus liberalitatis, *l. 1. ff. de precario*. Et non nisi in eo distat à donatione, quod qui donat, sic dat, ne recipiat, qui precariò concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium solvere, *d. l. 1. §. 2. & 3. ff. de precario*. 2. Movet textus in *l. sicut 20. & 46. ff. locat. cond. l. eum qui 14. §. is qui precario ff. de furtis l. 5. §. 4. ff. d. donat. inter vir & ux. l. si res æstimata ff. de jure dotium l. obligationum 3. §. 1. ff. d. Oblig. & Actionibus*, in quibus donatio & contractus, opponuntur. 3. Quia donationi non competit definitio contractus; omnis enim contractus, est conventio causam in se habens sive ultro citroque obligatio, *l. 19. de V. S. l. 1. ff. de æstimat. l. solent. 15. & l. rogasti 19. ff. de præscr. verbis l. nam cum ff. pro socio*. adeò quidem, ut sine causa obligatoria, planè non sit contractus, quæ hic deficit; Inter donantem enim & accipientem nullum negotium geritur obligatorium, *l. interdum ff. de precario l. Aristo. 18. ff. de donat. l. 35. §. finali C. eodem l. 194. d. V. S. quia nullus adest ani-*

A 2

mus



mus obligandi, tam in donante, quam donatario, *d. l. 3. ff. d. Oblig. & Act.* cum liberalitatis potius gratia donator eam perficiat, quam ut quicquam sibi acquirere velit *per supr. alleg. 4.* Deficiunt hic etiam ea, quae inter contrahentes intervenire solent, nempe tractatus, qui omnino praecedere solent, ubi contractus perfectus sequi debet; in donatione enim utique non contenditur de eo, quid vel quale donari debeat, cum donatarius potius quicquid datum fuerit, boni consulere debeat, secundum proverbium illud vulgare, *Einem gescheneften Noße sol man nicht ins Maul sehen.* 5. Denique cum contractus vel sine stricti juris, vel bonae fidei, *arg. §. 28. f. de Act.* donationem ad alterutram harum specierum referri oporteret, sed non referretur ad priorem, *d. l. interdum*, nec etiam ad posteriorem, *l. eum qui ff. d. donationibus. E.*

II.

An donatio sit Juris Civilis? A.

Donationem ex jure Gentium esse, & ferme cum societate humanae capisse, colligi posse videtur, tum ex *l. quâ ratione, §. haec quoque d. acquirend. dom.* tum ex Sacris, *Gen. cap. 20. v. 14. 5. 32. v. 13. c. 47. v. ult. Exod. c. 36. v. 3. 1. Sam. c. 9. v. 7. 2. Sam. c. 9. v. 7.* Insuper Graecis quoque & aliis gentibus ante Romanos eam in usu fuisse, testatur *§. 1. l. de donat.* Contrarium verò docet Justinianus (quem merito sequimur) in *l. si quis argentum 35. C. d. donatio*, certam formam donationi praescribens in eo, quod hodierno tempore donatio inter vivos solo consensu firmatur, & actionem civilem producit, quod olim secus erat, 2. in *§. alia l. d. donat.* ubi constituit, ut donatio quingentos solidos excedens, insinuatione opus haberet. 3. In *§. fina. l. d. usu & habit.* inquires: *exposuimus summam quibus modis jure gentium res acquiruntur, modò videamus, quomodo legitimo & civili jure acquiruntur,* & statim subjungit titulum de usucapionibus, quem è vestigio insequitur donationum rubrica, ex quo manifestò apparet, Imperatorem donationem attribuisse non juri gentium.

395
num, sed juri civili; Quod & confirmare videtur, §. *fin.*
d. tituli, ubi dicitur: *Erat autem olim & alius acquisitionis*
civilis modus & c. Quæ sanè verba præsupponunt & donationem
juri civili accensendam esse, atque Imperatorem in præ-
cedentibus tantùm de civilibus modis egisse, cum in primis
verba ista *d. §. initialia*, relativa sint, & ad proximè præceden-
tia respiciant. Cæterùm pro quæstionis decisione negari vix
potest, quin donatio originem ex jure gentium traxerit, & in
natura quatenus liberalitas est, fundata sit, quamvis postea
formæ perfectionem duxerit ex jure civili, quoad insinuatio-
nem scilicet & quædam alia, sine quibus ad totalem perfectio-
nem ejusdem perveniri non potest.

III.

An jurata patris donatio valeat? N.

Generalis illa constitutio, quæ donationes Parentum libe-
ris, in potestate existentibus factæ, improbantur: multis mo-
dis à Jureperitis limitari solet, quorum non postremi loci est,
adjectio juramenti, quæ utrum ad convalidationem ejusmodi
prohibitæ donationis aliquid faciat; non peræquè manifestum
est: communis sententia est: juramentum, patris donationem
injustam corroborare, adeò, ut jure subsistere queat, cum, quia
juramentum sit spirituale quiddam, in quo patriæ potestatis
ratio nulla habeatur, tum, quia hujusmodi donatio aliquam
obligationem naturalem saltèm pariat, quæ postmodùm jura-
mento confirmari possit, *arg. l. frater à fratre ff. d. cond. indeb.*
Veruntamen contrariam opinionem, rationi & juri consenta-
neam magis esse, putamus. I. enim hoc fieret in præjudicium
legis, quæ non tantùm ob rationem patriæ potestatis, ejusmo-
di donationes irritas censuit, sed etiam ne ob affectum & a-
morem nimium parentes in unum ex liberis majorem partem
bonorum collocare, & cæteros, imò & semetipsos spoliare &
defraudare possent, quam rationem pariter in donatione con-
jugum obtinere constat ex *l. 1 ff. de donat. inter virum & uxor.*
Juramentum autem tanti ponderis esse non debet, ut actum

A 3

contra

contrà legis tenorem factum, validum efficiat, ne hoc modo, quilibet Pater blanditiis liberorum commotus super donationibus iisdem factis jurare posset, atque ita, quod unà viâ prohibetur, alia rursum concedatur, *contra c. cum quod de R. J. in Sext.* & quod fieri non posset directò, concedatur per obliquum, *contra reg. uno prohibito*, omnia alia prohibita censentur, per quæ quis ad id pervenire potest, *l. oratio ff. de sponsalibus l. fin. C. d. usuris rei judicat.* 3. Accessorium sequitur naturam principalis, atque eo collapsò id quoque corruere oportet, donatione ergo, ut principali non subsistente, juramentum ceu accessorium subsistere, non potest. 4. Denique, omne juramentum turpitudinem in se continens, vel vergens contrà utilitatem publicam, cum sit contrà bonos mores, non valet. Publicæ verò utilitati officere tales donationes visum fuit Legislatoribus, proinde etiam juramenta ad easdem corroborandas præstita tanquam publicæ utilitati contraria, erunt invalida.

IV.

An patris donatio morte illius confirmetur? A.

Placet & hanc quæstionem intricatam hîc attingere, utrum scilicet donatio simplex à patre filiofam. facta, morte ejus confirmetur? & magis est, ut dicamus eam hac ratione subsistere. Defenditur a. assertio hæc *l. 25. C. d. donat. inter vir. & uxorem*, ubi ita legitur: *Imperator noster donationes quas parentes in liberos cujuscunq; sexus in potestate sua constitutos conferunt, vel uxor in suum maritum, vel maritus in suam uxorem, vel alteruter eorum, in aliam personam, cui constante matrimonio donare non licet, vel alia persona in eam cui donare non poterant, ita firmas esse, per silentium donatoris aut donatricis sancimus & c.* 2. Probat ex *Nov. 162. in fin. pr. cap. 1. verbis.* Et sancimus & c. *Si perfectè omnia se habent ea, quæ ad talem donationem pertinent, tam secundum mensuram, quam secundum insinuationem, valere, ipsam ex modo omni per viri silentium illicò ab initio (secundum nostram*

stram constitutionem) ex quo facta fuit &c. §. 1. verbis si quidem insinuata fuerint in gestis, omnibus modis ipsa silentio confirmari; qui textus postmodum trāsferuntur ad omnes alias personas, inter quas donationes, prohibentur. 3. Idem velle videtur, l. donationes 31. §. 2. ff. d. donat. ubi pater, qui filia, quam habuit in potestate mancipia donavit, & peculium emancipatae non ademit, ex post facto videtur perfecisse donationem. Jam verò cum filia vel filius morte patris, ac si emancipatus fuisset, ex eius potestate transeat, atque sui juris efficiatur, eadem ratione dicendum est, patrem ante mortem donationem non revocando, eo ipso, illam perfecisse. Nec obstat, quod donatio statim atque à patre in potestate constituto filio facta fuerit, ad ipsum revertatur, nam, quamvis illud fictione juris ita se habeat, repugnat tamen & patris voluntas, & d. Nov. 162. cap. 1. ubi dictum fuit, valere eiusmodi donationem per silentium illico ab initio ex quo facta fuit, arg. l. 32. §. si mulier. 13. ff. d. donat. inter vir. & uxor. ubi simili modo jure aliàs invalida donatio, donatore prius discedente, ex morte illius confirmatur, & valida efficitur.

V.

*An filius, quod ex donatione simplici à patre facta
& per mortem ejusdem confirmata accepit,
teneatur reliquis patribus conferre? N.*

Justum videbatur, ut, qui paternorum bonorum ex æquo particeps fieri desiderat, æquilis quoque conservandæ gratiâ, ea, quæ à patre affectus fuerat, conferat, cum quicquid à patre profectum est, collationi communi subjaceat, ut colligere licet, in l. ut liberis 17. §. 13. C. d. Collat. Quoniam verò morte patris donationes confirmari, superiori in quæstione planum fecimus, necesse erit, collationem hoc in casu, negare, idque per l. 2. C. d. inoff. donatio: ibi filius, in quem immensa quodam liberalitatis impetu Pater patrimonium omne collocaverat, tenetur



tenetur ad legitimam duntaxat fratribus præstandam. 2. per l. 20. §. 1. vers. jubemus C. d. collat. ubi dicitur, simplicem donationem non aliter conferri, nisi donator legem ejusmodi, tempore donationis, suæ indulgentiæ imposuerit. 3. per l. 8. C. d. inoff. testam. ubi ita dicitur: Parentibus arbitrium dividendæ hæreditatis inter liberos adimendum non est dùm non minus is, qui pietatis sibi conscius est, partis, quæ intestato defuncto potuit ad eum pertinere, quartam ex judicio patris obtineat: exindeque colligitur Patrem liberos inæquales facere posse, modò legitima cuique conservetur, quod etiam ex l. hac Edictali 6 §. 1. vers. Sin autem C. de secund. nupt. l. omnimodo 32. C. d. inoff. testam. pluribus confirmatur. Tandem cum collatio sit res odiosa, eam sine lege expressâ ad casus non nominatos extendere non licet, l. cum quidam 19. ff. d. liberis & posthumis.

VI.

An donatio omnium bonorum valeat? A.

Donationem non modò singularium, sed etiam omnium bonorum secundum Legum præscripta factam, jure validam & subsistentem omnimodò esse, non attentis adversativæ sententiæ argumentis, probabimus. Et primò quidem textus est manifestus, in l. 35. si quis §. sed etsi quis. 4. C. d. don. ubi hæc verba leguntur: *Si quis universitatis faciat donationem, si non de inofficiosis donationibus ratio in hoc reclamaverit, coartari donatorem legis nostra auctoritate, tantum, quantum donavit præstare &c.* Et §. seq. in verbis, *necessitatem habeat donator, vel res, vel partem substantiæ, quam nominaverit, vel totam substantiam tradere.* 2. Facere pro nobis videtur, l. omnes 17. §. 1. ff. quæ in fraudem cred. Ubi alienatio sive donatio omnium bonorum revocatur, quam libertis atque filiis suis naturalibus quis in fraudem creditorum fecerat, nihil autem revocatur, quod non antea vel substitit vel ad minimum subsistere potuit. 3. Idem probare videtur, l. 8. C. d. rev. donat. ubi itidem donatio omnium bonorum patroni liberos non habentis collata in libertum revocatur, non quidem propterea, quod donatio illa fuerit tatius substantiæ, sed

397
sed quia donator post factam jam donationem liberos susceperat. 4. Eadem ratione donatio omnium bonorum à patre in filium emancipatum delata, valere & subsistere dicitur, *in l. cum quis 37. §. 3. ff. d. leg. 3.* Deniq; quia nemini rerum suarum dispositio auferenda est, cum earum sit liber moderator & arbiter, *l. 21. C. Mandati*, injustum & inhumanum foret, hoc in casu illum libertate illa privari.

VII.

An donatio 500. solidos excedens, sine insinuatione facta, juramento confirmari possit? N.

Quid juramentum contra leges factum efficere valeat, superiori in quaestione, ubi quaerebatur, utrum juramentum donationem inter patrem & liberos, aliàs illicitam, confirmare posset, pluribus propositum fuit, et hac sententia ergo nec hoc in casu recedendum nobis erit, dicimus itaque juramentum hoc in loco tanti momenti esse, quanti in illo, & donationem 500. solidos excedentem, quamvis juramento confirmatam, minimè tamen subsistere. 1. Quia leges insinuationis solennitatem præcisè requirunt, *§. alie I. d. donat. vers. Et cum retrò l. 34. & alias 1. & l. 36. & final. C. eodem.* ubi expressè dicitur, donationem 500. solidos excedentem sine insinuatione omnino non valituram esse. 2. Quia iis partium consensu derogari nequit, *l. 5. C. d. legibus & l. 38. ff. d. pactis.* 3. Facit *c. si diligenti 12. extra à foro competenti circ. fin.* ubi nec juramentum licitè servari potest, quod contra statuta illicitis pactioibus informatur. 4. Accessorum sequitur naturam principalis, adeoq; cum donatio illa absque insinuatione facta ab initio nulla fuerit, etiam juramentum tanquam accessorium nullum erit, quia nec pactum nec contractus intelligitur fieri inter eos, qui contrahunt, lege contrahere prohibente, *d. l. 5. C. d. legibus.* Dubium movere hic posset alicui, *c. cum contingat 28 ext. de jure jurando*, quod consensum mulierum super rebus dotalibus aliàs

B

impro-

improbatur, juramento confirmari dicit, veruntamen cum
in sequentibus ratio subjungatur, nimirum, hoc idè fieri, quia
in nullius præjudicium fiat nobis ille textus parum obstabit,
secus enim est in infinuationis solennitate, quàm leges disertè
requirunt, l. 7. §. 7. ff. de pactis. Et donationem sine illa omni-
modò valere non concedunt. Nec obstat c. si verò 8. extr. de ju-
rejur. ubi dicitur juramentum omne servandum esse, nisi ser-
vatum, vergat in æternæ salutis dispendium, hoc verò in casu
servatum juramentum non vergit in æternæ salutis dispendium.
Respondetur enim cum Rever. Dn. D. Balduino in Cas. Conso.
lib. 2. c. 9. casu 13. juramentum quod fit contra honestas & saluta-
res reip. leges vim obligationis nullam habere, atque ita cum
ad observationem legum à Magistratu conditarum astricti si-
mus rescindendum esse.

IIX.

*An ad Donationem inter vivos, necessariò requi-
ratur, ut donator sit firmi & validi corporis,
nec constitutus in adversa valetu-
dine, & N.*

Infirmam corporis, sinceritatem mentis, nihil in hoc no-
stro casu præjudicare, sed donationem ab ægro quidem corpo-
re, mente tamen sano, factam, jure civili subsistere statuimus,
arg. l. sanum mente 27. C. d. transactio. l. Senium 3. C. qui testam. fa-
cere possunt, cum nihil tam conveniens sit naturali æquitati,
quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium trans-
fere ratam haberi, §. per traditionem I. de rer. divisione, & aliàs
consensum ad donationem faciendam sufficere probatur, l. si
quis argentum §. 5. C. d. donationibus, & §. alia I. eodem. De jure
Saxonico negativa verior videbatur, per text. in Weichbildt art.
65. cum nec mas nec fœmina in lecto decumbentes, citrà con-
sensum hæredum, ultrà §. solidorum (Schilling) valorem, vel
quantum alteruter manu alteri ex sponda porrigere potest,
cuiquam.

cuiquam donare possint. Hinc Saxones pro certâ solennitate, in donationibus inter vivos sanitatem corporis, requirunt. Hinc in nobile vel milite requirunt, ut gladio & scuto ad col- lum pendente, cinctus, sine alicujus auxilio è saxo vel trunco, ulnæ altitudinem habente, equum ascendere possit, ob ihme schon der Stegreiff vnd Ross gehalten wird.

In cive ut viis, & itineribus vel ad luctam aptus, & gla- dium sine alterius auxilio evaginare, inque vaginam reconde- re possit. (daß nicht einer ihme die Scheiden halten darff) requiri- tur ab hoc insuper, ut tam diu in judicio stare valeat, donec donationis actus expeditus fuerit, *Gloss. ordinar. Landrecht lib. 2. art. 52. num. 7.* In rustico ut unicum sulcum agri, jugerum continentis, aratione possit, *gloss. d. l. vers. Ein Paur aber & c. Ein Weib aber sol so vermögens seyn / daß si zu der Kirchen / so 20. Ruthen von ihrem Hause gelegen ist / gehen / vnd in dem Gerichte so lange / biß sie die Gabe verrichtet hat stehen kan. d. gloss. vers. Eine Frau aber.* Sed hæc hodiè non observari, testatur Berlichius, *part. 2. Concl. 14. num. 26. post Wesenb. ad Schneidvvinum in S. elie autem 2. I. de donat. num. 40. sub fine l. D.*

IX.

An Emphyteuta sine consensu Domini Emphyteuta sin donare alteri possit? A.

Acrius disceptatur passim inter Doctores, utrum scilicet ad donationem Emphyteuseos requiratur Domini consensus & Justinianus enim in *l. final. C. de jure empb. rescribit.* Quod mi- nimè liceat emphyteuta sine consensu Domini meliorationes suas ven- dere vel jus emphyteuticum transferre, ratio, ut Dominus si velit, eam possit eo pretio, quod alter daturus erat redimere. Quod, utrum etiam ad donationem extendendum sit, multæ dubita- tionis est: plerique ex recentioribus assertivam defendunt, fundamento ducto, *ex d. l. fin. C. de jure Emphyt.* contrariam ta- men sententiam, probabiliter quoque exercitii gratiâ defen- di, atque ita in donatione necessitatem denunciationis dene-

B 2

gati



gari posse puto. Primò enim hoc in casu deficit ratio & causa prohibitionis, quæ erat, ut Dominus potestatem haberet, pretio illo, quod alter daturus erat, redimere emphyteusin, l. 3. C. d. jure Emphyteu. quoniam verò in donatione pretium nullum intercedit, omni jure causa illa prohibitionis cessat, adeoque ipsa prohibitio. 2. Facit l. 71. §. fin. ff. d. Legat. 1. ubi dicitur legari posse fundum vectigalem, & non videri proprietatem quidem legatam, sed ipsum jus, quod in ejusmodi fundo vectigali habemus: quoniam verò legatum est quædam donatio, ideò in illa eandem juris dispositionem admittimus. 3. Hoc jus ideò Domino concedi non debet, quoniam præsumitur, Dominum semper velle sibi potius donari, quàm alteri, atque ita emphyteuta nunquam jus suum donare possit. 4. Donatio gratuita est, l. donari ff. b. tit. l. donari d. R. 7. & affectionis & benevolentia erga benemeritum amicum declaratio, cum verò affectionis illius sint certæ causæ, nec Domino cum donatario communes, arg. l. nec adjecit. 9. ff. pro socio, donator ad id omninò cogi non debet, ut erga Dominum affectum huncce suum declararet. Ultimò confirmatur hæc sententia in l. 1. C. de fund. patrimonii. ubi absque ullo judicis consensu emphyteuta reipublicæ jus suum donare potest, nec est ut quis objiciat, fieri ejusmodi donationem in præjudicium Domini, siquidem præsupponimus ejusmodi personam quæ & idonea est ad recipiendam donationem juris emphyteutici & apochas præstare valet, atque hæc ratione nihil in præjudicium ipsius fieri manifestum est, siquidem etiam tempore inductionis minus idoneam personam reprobare possit.

X.

Utrum scriptura ad donationem necessario requiratur? N.

Superioribus dictum fuit, inter quas personas donatio subsistere non possit, dictum itidem, quid & quantum donari possit, consequens nunc erit, ut etiam de modo & forma donationum aliquid velut in transitu brevibus proponamus, habet itaque

itaque illam hic movere quaestionem, utrum scilicet ad donationem scriptura necessariò requiratur? Quod primò aspectu ex l. 25. C. d. donat. non ineptè colligi possit? uti dicitur: *in conscribendis autem donationibus, nomen donatoris, jus ac rem notari oportet, neq; id occultè aut privatim, sed aut tabula, aut quodcumq; aliud materiae genus tempus dabit &c.* Quibus sanè scripturam ad donationes, necessariam esse indigitari viderur. Verum enim verò si modo textus illius verba penitus paulò introspexerimus, contrariam eam nostræ opinioni non esse, facile deprehendemus. Dicitur enim inibi, qualis scriptura esse debeat, & quomodo donationem, quæ eadem opus habet, conscribi oporteat. Indè verò nò statim consequens est omnem omninò donationem scripto comprehendendam esse, contrarium enim dilucidè nos docent textus in l. si quis argentum §. sed siquidem 5. C. d. donat. & §. alia l. eod. qui ad perfectionem donationis nudum solummodò consensum requirunt, quod verò consensu tantum perfici dicitur, illud non solùm verba & traditionem, verum etiam scripturam excludit, cui consona quoque est, leg. 29. C. d. tit. in qua Imperator Theodosius in hæc sequentia verba rescribit, *in extraneos & sæpe ignotos donationem collatam valere receptum est, & si sine scripto donatum quid fuerit adhibitis aliis idoneis documentis, hoc, quod geritur, comprobatur.* Ulterius firmatur hæc opinio in l. 12. C. de fide instr. & l. 31. d. donatio, qui textus æquè donationem absq; scriptura subsistere posse pluribus demonstrant.

XI.

An donatio propter alias etiã ingratitudinis causas quam illas quinque in l. final. C. d. revocand. donat. revocetur? N.

Consequens nunc erit etiã alicquid circa donationum inter vivos revocationē in medium proferre; quanquam enim donationes secundum leges & juris dispositionem factæ, perfectæ omninò sint, & sua natura irrevocabiles, reperiuntur tamen in jure expressæ aliquot causæ, de quibus donationes re-

B 3

scindi

scindi & annihilari utique possunt. Quarum prior ingrati-
do donatoris, posterior verò supervenientia liberorum appel-
latur. De priori in l. finali C. d. revoc. donat. ita constitutum re-
petimus, generaliter sancimus, omnes donationes lege confectas, fir-
mas illibatasq; manere, si non donationis acceptor, ingratus circa do-
natorem inveniatur, ita ut injurias atroces in eum effundat, vel ma-
nus impias inferat vel jacturæ molem ex insidiis suis ingerat, quæ non
levem censum substantiæ donatoris imponat, vel vitæ periculum ali-
quod ei intreat, vel quasdam conventiones sive in scriptis donatori
impostas, sive sine scriptis habitas, quas donationis acceptor spondit,
minimè implere voluerit: inde quæstionis & dubii est, utrum do-
natio, ob alias ingratitude causas, an verò tantum in d. l. enu-
meratas revocari possit? Et cum certò constet Imperatorem
Justinianum certas hinc ingratitude causas describere & re-
vocationem donationum determinare voluisse, posteriori,
non verò priori sententiæ subscribendum meritò nobis erit.
Probat autè illa, primò ex ipso textu citato. Dicitur n. in se-
quentibus, ex his tantummodo causis, si fuerit in judicium dilucidis
argumentis cognitionaliter approbata, etiam donationes in eos factas
reverti concedimus: ex quibus planè perspicendum, propter il-
las. 5. causas TANTUMMODO, (ut textus loquitur) non verò alias,
donationes rescindendas esse, 2. Facit expressè textus in §. 2.
l. d. donat. ubi dicitur, et si plenissimæ donationes sint, eas tamen, si
ingrati existant homines CERTIS ex causis revocari. Supervacue
autem & planè inutiliter verba illa CERTIS ex causis dicto in
§. proponerentur, si etiam aliis ex causis similibus donationes
revocari possent.

XII.

An constitutio, l. 8. C. de rev. donat. perti-
neat etiam ad quemvis alium extra-
neum? A.

Alteram nunc donationis revocandæ causam hic subjun-
gere necesse erit, quam supervenientiam liberorum supra ap-
pella-

400

pellavimus & fundata est in l. 8. C. d. revocand. donationibus. Si unquam libertis patronus, filios non habens, omnia bona vel partem aliquam facultatum, fuerit donatione largitus, & postea susceperit liberos, totum, quicquid largitus fuerat, revertatur in ejusdem donatoris arbitrio ac ditione mansurum. Quæ constitutio, utrum generalis sit, & ad quasvis etiam alias personas extendatur, an verò specialis, & solummodò in patrono & liberto, donatore & donatario admittit debeat, incerti juris est. Nos tamen, quamvis permulti & textus & rationes in contrarium militare videantur priorem opinionem amplectimur. 1. enim ubi eadem est juris ratio, ibi eadem juris dispositio. Ratio autem revocationis in hac constitutione est liberorum supervenientia, quæ non minus in extraneo obtinere debet quam in patrono siquidem quilibet pater suos alere tenetur, & præsumendum donatorem in extremum rem suam non contulisse, si unquam de liberis sperare vel cogitare potuisset, l. generaliter 6. §. cum autem C. d. Inst. & substit. l. cum avus 10. ff. de cond. & demonstrat. l. cum acutissi 30. C. de fideicommiss. l. 1. C. de inoff. donatione. Summa igitur æquitatis ratio suadet, d. l. 8. constitutionem ad extraneum quoque qui post donationem in liberos suscepit, extendendam esse; quin imò facile quis dixerit, æquitati & pietati congruum magis esse, ut ejusmodi donatio citius in casu extranei donatoris & donatarii quam in casu liberti & patroni: revocetur. Siquidem inter hos intervenit aliqua conjunctio, ita, ut patronus liberto bene de se merito propter officiorum præstitorum recordationem donans, non tam facile revocare donationem possit, quam alius, qui in extraneo talia sperare non potest.

S. D. G.

FINIS.


ULB Halle
004 961 196


3



WMA








Disputatio Juridica 393
De 1630 530
DONATIONIBUS,

Quam 5
D. T. O. M. A.
In celeberrima Academia Vitebergensi
SUB PRÆSIDIO
Viri Amplissimi Consultis. & Excellentis.
DN. HENNINGI Grossen /
J. U. D. & Profess. publ. Curia Electoralis & Facul-
tatis Juridicæ Witebergensis, nec non Judicii Provincialis in in-
feriori Lusat. Assessoris dignissimi Præceptoris & Promoto-
ris sui omni observantiæ cultu prosequendi,

Publicè pro ingenti viribus defendet,

FRIDERICUS Rutschereuter
Wratislav. Silesius.

Habebitur in Auditorio Jctorum ad diem 27. Aprilis
horis matutinis,



WITTEBERGÆ

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXX.